CAROLI LUDOVICI URLICHSII

COMMENTATIO

DE VITA ET HONORIBUS AGRICOLAE.

WIRCEBURGI.
APUD ADALBERTUM STUBER.
1868.

De vita et honoribus Agricolae.

Quae nuper ab *Hübnero* v. cl. de consilio quo Tacitus ad memoriam soceri celebrandam accesserit, ita disputata sunt, ut laudationem funebrem esse demonstraret in libri formam redactam (Hermes I, p. 438 rell.), ea vereor ne speciosius quam verius dicta esse videantur. Nam quum illo laudationum officio aut optimus quisque e civibus ad publica funera aut ad privata propinqui vocati sint, id sane viro doctissimo facile concedimus, Agricolam et Tacitum utroque munere fuisse dignissimos, sed num reapse orationem potius quam res a socero gestas scribere voluerit Tacitus, ex ipsa libri forma iudicandum esse arbitramur. In quo etsi prooemium, narrationem, epilogum recte Hübnerus distinxit, unum tamen epilogum orationis prae se ferre speciem contendimus. Ac prooemium quidem quum totum comparatione vitarum ab ipsis claris hominibus aliisque antiquitus scriptarum et tunc a rerum scriptore narratarum ac saevorum feliciumque temporum [1]) contineatur, nullum oratoriae laudationis vestigium exhibet, neque e moribus Romanorum ulla in funere defuncti ac propinqui

[1]) Quae tamen optime conciliari nuper sibi persuasit *Pfaffius* (exegotisch-kritische Bemerkungen zu Tacitus' Agricola p. 14). *Hübnerus* autem cui non displicuisse quae ante hos quatuor annos (Eos I, p. 564 sqq.) disputaveram vehementer laetor, cum *fuit* idem ac *fuerit* significare dixit, vellem illius usus exemplum attulisset. Equidem cum *Niebuhrio* (Kl. Schrift. I, p. 332) facio.

hominis venia opus fuisset. Narratio autem etsi in primis extremisque capitibus a laudationis brevitate non aliena, tamen, etiamsi cum Hübnero ipso capita 10—17. tamquam e studiis scriptoris importunius inserta omiseris, pluribus argumentis ad historicum potius quam ad oratorium genus refertur. Sententiae breves ac severae proferuntur: c. 9. *Haud semper errat fama.* c. 27. *Iniquissima haec bellorum condicio est* rell. c. 41. *pessimum inimicorum genus, laudantes.* c. 42. *proprium humani ingenii est odisse quem laeseris.* c. 44. *vera bona — in virtutibus sita sunt;* vitia quibus illa aetas laborabat, acerbe vituperantur: c. 5. *more iuvenum qui militiam in lasciviam vertunt.* c. 6. *temporum quibus inertia pro sapientia fuit.* c. 7. *Domitiano — tantum licentiam usurpante.* Ib. *nec legatus praetorius ad cohibendum potens, incertum suo an militum ingenio.* c. 8. *placidius quam feroci provincia dignum est.* c. 9. *famam — cui saepe etiam boni indulgent.* c. 18. *tempus alii per ostentationem et officiorum ambitum transigunt.* c. 19. *domum suam coercuit, quod plerisque haud minus arduum est quam provinciam regere.* Ib. *circumcisis quae in quaestum reperta* rell. c. 20. *vel incuria vel tolerantia priorum.* c. 21. *idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.* c. 25. *ignavi specie prudentium admonebant.* c. 27. *illi modo cauti ac sapientes prompti post eventum ac magniloqui erant.* c. 29. *casum neque ut plerique fortium virorum ambitiose, neque per lamenta — muliebriter tulit.* c. 40. *plerique quibus magnos viros per ambitionem aestimare mos est.* c. 42. *Sciant quibus moris est illicita mirari* rell. — Accedunt dubitationes fidei rerum scriptoris consentaneae, ab oratore alienissimae: c. 39. *sive verum istud sive ex ingenio principis fictum ac compositum est.* c. 41. *satis constat.* c. 43. *nobis nihil comperti;* excursus et ante dictorum recordatio: c. 18. *supra memoravi.* c. 24. *Saepe ex eo audivi* rell. totum c. 28.

Atque, quod gravius est, dicendi genus ita comparatum est, ut rudem illam et inconditam vocem quam modestius c. 3. scriptor excusat, totam ad Sallustii florentissimi rerum scriptoris exemplum conformasse putandus sit. Manifestam enim Sallustii imitationem hi loci produnt, quorum magnam partem iam a *Teuffelio* in progr. Tubing. h. a. p. 29. collectam reperies: c. 3. *exactae aetatis* = Iug. 6, 2. *exacta sua aetate.* c. 4. *locum — comitate et — parsimonia mixtum* (cll. c. 25.) = Iug. 57, 5. *pice et sulphure taedam mixtam.* c. 7. *maluit videri invenisse bonos quam fecisse* = Iug. 45, 2. *prohibendo — magis quam vindicando exercitum — confirmavit.* c. 8. *Nec —*

umquam in suam famam gestis exultavit rell. = Iug. 96, 3. *neque interim — consulis aut cuiusquam boni famam laedere* rell. c. **9.** *inter togatos* = Iug. 21, 2. *multitudo togatorum.* c. **11.** *qui mortales* = Iug. 17, 7. *qui mortales.* c. **12.** *frugum fecunda* = Iug. 17, 5. *frugum fertilis.* c. **15.** *avaritiam et luxuriam* = Catil. 12, 2. *luxuria atque avaritia.* c. **16.** *agitavit Britanniam disciplina* = Iug. 44, 3. *maiorum disciplina milites laborare coegisset.* c. **18.** *quibus bellum volentibus erat* = Iug. 84, 3. *plebi militia volenti putabatur.* 100, 4. *militibus — labor volentibus esset.* **Ib.** *clarus ac magnus haberi* = Catil. 53, 1. *clarus atque magnus habetur.* Iug. 92, 1. *maior atque clarior haberi coepit.* c. **20.** *multus in agmine* = Iug. 96, 3. *in agmine — multus adesse.* 100, 3. *apud omnis adesse.* **Ib.** *nihil — quietum pati* = Iug. 66, 1. *nihil intactum neque quietum pati.* 88, 2. *nihil — remissum neque — tutum pati.* c. **22.** *Nec Agricola umquam per alios gesta avidus intercepit* = Iug. 85, 34. *neque gloriam meam, laborem illorum faciam.* c. **25.** *cum — sua quisque facta, suos casus attollerent* = Iug. 53, 8. *sua quisque fortia facta ad caelum fert.* c. **26.** *securi pro salute de gloria certabant* = Iug. 94, 5. *pro gloria his —, illis pro salute certantibus.* 114, 2. *pro salute, non pro gloria certare.* c. **27.** *prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur* = Iug. 53, 8. *in victoria vel ignavis gloriari licet, advorsae res etiam bonos detractant.* c. **29.** *Igitur* = Iug. 95, 3. et passim. **Ib.** *incertum terrorem* = Iug. 50, 4. *incerto proelio.* c. **30.** *Raptores orbis* = epist. Mithrid. 23. *latrones gentium.* **Ib.** *opes atque inopiam* = Catil. 11, 3. *neque copia neque inopia.* **Ib.** *Auferre trucidare rapere* = Iug. 41, 5. *ducere trahere rapere.* c. **31.** *Nata servituti mancipia* = Iug. 31, 11. *imperio nati.* c. **33.** *omniaque prona victoribus atque eadem victis adversa* = Catil. 58, 9. *Si vincimus, omnia nobis tuta erunt: sin metu cesserimus, eadem illa advorsa fient.* **Ib.** *arma et in his omnia* = Iug. 51, 4. *in armis omnia sita.* **Ib.** *neque exercitus neque ducis terga tuta esse* = Catil. 58, 16. *in fuga salutem sperare, cum arma — ab hostibus avorteris, ea vero dementia est.* c. **36.** *exterriti sine rectoribus equi* = Hist. I, 98. Kr. 96 D. *equi sine rectore exterriti.* c. **37.** *Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum* = Iug. 101, 11. *Tum spectaculum horribile in campis patentibus.* **Ib.** *sequi vulnerare capere* = ib. *sequi fugere, occidi capi.* **Ib.** *Passim arma et corpora — et cruenta humus* = ib. *omnia — constrata telis armis cadaveribus, et inter ea humus infecta sanguine.* **Ib.** *vitabundi* = ib. 9. *vitabundus* c. **38.** *exacta iam aestate* = Iug. 61, 1. *iam aestatem exactam.*

Quae autem in narratione, nisi de oratione cogites, reprehendi Hübnerus censet, mihi quidem ab omni reprehensione videntur esse libera. Nam de anno Agricolae natali loco satis idoneo locutus est scriptor c. 44, dum natales cum morte coniungit, aliquanto accuratius quam Plutarchus et ipse Sallustius qui de Catilinae aetate nihil omnino tradiderit. Ac quod de toga virili tacuit, sano iudicio usus quae de omnibus valerent intellegenda magis quam declaranda esse arbitratus est. Reliqua imperatorum nominibus additis satis dilucide distinxit.

Denique summa qua soceri laus exornatur ars exemptis illis e libro luminibus, Calgaci et Agricolae contionibus, tota periit. Cum enim usque ad susceptam Britanniae administrationem narratio properaverit, in expeditionibus Agricolae describendis remissiore cursu processerit, in culmine gloriae atque laudis ita immoratur atque consistit, ut quasi invita inde ad exitum viri egregii ac dominationem saevissimam principis descendat. Quid quod ipso quem sane cuiusvis orationis ornamentum esse posse concedo, epilogo fortasse non tam oratores imitatus est scriptor quam eas quas apud Sallustium orationes repererat. Quum enim capitis 45. initium manifesta imitatione e loco nobilissimo Ciceronis de oratore III, 2. et 3. expressisset, allocutionem illam qua etiam ieiuni scriptores delectantur, veluti Plinius nat. hist. VII, 16, ex orationibus Sallustii Catil. 51, 18. et L. Philippi 15. potuit desumere.

His si addideris, quod *Liebertus* de doctrina Taciti p. 22. prudenter monuit, et in prooemio et in narratione et in epilogo non aequalium sed posterorum memoriam inici, eatenus tantum Hübnero assentiendum esse intelleges, quod ante hos quadraginta quinque annos *Mohrius* animadvertit (Bemerkungen zu Tacitus Agricola p. 17), ut vitam laudationi substitutam esse atque epilogum funebris laudationis imaginem exhibere censeas.

Nam haec quidem probabilis coniectura videtur esse, Tacitum a foro et curia recentem laudatione qua consul a. 97. Verginii Rufi virtutes publice celebravit, ad soceri memoriam revocatum monumentum quavis oratione perennius ei erigere statuisse. Atque illam orationem e verisimili *Mommseni* coniectura (Hermes III, p. 38) ultimo anni 97. nundino consul habuit, et videtur sane diutino quo Verginius consul ordinarius morbo implicitus tandem occubuit Taciti magistratus ab altero eiusdem anni nundino

ad postremum reici. Itaque quum anno 97. exeunte graviter contionatus esset, primis proximi anni mensibus eam quam animo imbiberat Sallustiani generis admirationem ad historiae conscribendae rudimenta transtulit. Quod fecit primis anni 98. mensibus. Nam etsi verissime *Nissenus* (Tac. Agricola p. 14) et nuper Mommsenus (Hermes III, p. 106) monuerunt, caput 44. non ante Traiani principatum i. e. post mortem Nervae scribi potuisse, tamen non ultra primos illius anni menses librum nostrum reiciendum esse e prooemio consequitur, quo et tunc primum ad scribendum se accingit Tacitus et pulcherrima gradatione a restituta Nervae beneficio libertate ad praesentium temporum felicitatem atque ad spem de futura rei publicae gloria et securitate assurgit. Ac libertatem quidem Nerva XIIII. K. Octobr. a. 97. imperio suscepto restituerat (cf. *Henzen.* inscr. 5436. Mommsen. anal. 14. in Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1850. p. 300; Plin. epist. IX, 13, 4); itaque votorum nuncupatio, quae pro imperatore et re publica die III. Ianuarii in Capitolio fieri solebat, proximis verbis respicitur, quae quum voti robur cum fiducia coniunctum commemorant, egregie Traiani principatui non ita pridem inito respondent. — Atque quod de hac prooemii elegantia, id de toto libello praedicare licet, quae obscurius significata aut exquisitius enuntiata esse videantur ea, si quis rerum aliquam notitiam ad verborum interpretationem attulerit, pleraque apte dicta et perspicue exposita fore ut reperiantur.

Ita patria Agricolae colonia cur c. 4. *vetus* appelletur, interpretum nemo dubitavit, scilicet iam a. 46. ante Chr. n. ab Iulio Caesare deducta (cf. *Herzog.* Galliae Narbon. histor. p. 81), *illustrem* idcirco vocari omnes sibi persuaserunt, quia naves rostratas Actiaca victoria captas Augustus in portum opportunum miserit. At vero haec loci commoditas ad utilitatem pertinet, dignitatis est ipsa incolarum condicio. Qui quum non Latini ut in plerisque Galliae coloniis sed cives Romani essent atque praeter honores pleno iure Romano gauderent (cf. Herzog. p. 149 sqq.), factum est ut et optimus quisque Gallorum (cf. *Zumpt.* stud. Rom. p. 329 sqq.) et uterque avus Agricolae Iuliae gentis nomen asciscerent et ad equestria munera admitterentur. Haec enim sibi volunt verba a nonnullis addubitata *quae equestris nobilitas est* sc. non ultra procurationes eos per loci condicionem potuisse ascendere. Atque ascenderunt alter ab Augusto, a

Tiberio alter promotus, quod lectione melioris codicis *Γ Caesarum* efficitur. Materni avi nomina e filiae appellatione eruuntur. *Iulia* enim *Procilla* haud dubie filia fuit Iulii Procilli, quo cognomine eiusdem provinciae princeps C. Valerius Procillus a Caesare bell. Gall. I, 47. appellatur. Praedia autem quae paterna ut videtur hereditate Procilla acceperat extra provinciae fines in confiniis Alpium maritimarum sita erant (cp. 4), ex iis fortasse temporibus, quibus Massiliensium regio usque ad Nicaeam certe pertinebat. Nam Graecam i. e. Massiliensium viciniam *Iulius Graecinus* cognomine prodit, ab illo Graecino qui ab Ovidio ex Ponto II, 6, 16. commemoratur, probe distinguendus. Quem cum *Wexius* fortasse Iulii patrem fuisse suspicatur, *Pighii* errore deceptus videtur. Hunc enim Graecinum ad gentem Pomponiam optime retulit *Borghesius* op. II, p. 24 sqq., Buthroto Epiri, ut videtur, oriundum. Ceterum in eiusdem provinciae Lugduni Iulia Graeca et Graecinus Graecinae filius reperiuntur in inscriptionibus apud *Boissieu.* inscript. de Lyon p. 502. et 521. Nam forte factum est, ut Foroiulii etiam Agricolae cognomen M. Caelio cuidam adderetur (Herzog. append. epigr. 305). Tribus autem Foroiuliensium Voltinia fuit, cf. ib. n. 46. *Grotefend.* imp. Rom. tributim descr. p. 118.

Is igitur Graecinus *senatorii ordinis* ius honorum a Tiberio Caesare adeptus est, *cum omnem florem ubique coloniarum ac municipiorum in curia esse vellet* (orat. Claud. col. II.) [1]. Qui circa ipsa aerae nostrae initia natus fuisse videtur. Ante Seiani enim interitum (a. 31) in senatu cum de philosophis quaerebatur sententiam dixit (cf. Seneca de benef. II, 21· IV, 30. M. Seneca suas. 2) post Scaurum qui anno 21. consul suffectus (Borghes. op. I. p. 320 sqq.) a. 54. obiit. Ante annum autem 34. praetura functus est, nam inter divites homines, quorum dona ad ludos celebrandos missa a Seneca sprevisse narratur, Caninius Rebilus consularis vocatur, Fabius Persicus cos a. 34. non item. Itaque ante annum 31. quaestura, ante annum 34. praetura functus est, obiit autem *iram C. Caesaris meritus: namque M. Silanum accusare iussus et quia abnuerat interfectus est.* Iam M. Si-

[1]) Itaque errasse videtur Herzogius p. 166, qui primos inter Narbonenses provinciales, si non solos, ante Claudii principatum Viennenses illo iure usos esse existimat.

lanus inde ab anno 32. usque ad a. 38. Africam pro consule rexerat (cf. Borghes. annal. dell' instit. arch. 1849. p. 58.[1]) cll. Zumpt. stud. Rom. p. 137), unde prima aestate Romam revocatus ac necatus est a Caio Caesare, quem ingressum turbatius mare non erat secutus (Sueton. Calig. 23), quod tempore hiemali aut verno accidisse videtur. Apparet igitur Dionem LIX, 8. Silani caedem falso ad annum 37. retulisse. Qui quum post Macronem interiisse tradatur a Philone leg. ad Caium 9, usque ad annum 38. incolumis fuerit Romaeque per aliquod tempus senatui interfuerit necesse est (cf. Dio l. l. 10). Neque tamen diu postea vixisse ordine quo uterque scriptor Silani Macronisque mortem fere coniunxit demonstratur. Itaque tempestas illa cui Silanus se committere noluit, verno potius tempore a. 39. evenisse putanda est. Tum autem Graecinus etsi Caesaris iram forti repulsa meritus capitis periculum non statim incucurrit, cum Caligula itinere Gallico et expeditione Britannica suscepta ultionem liberae illius contumaciae differret. Itaque aestate demum anni 40. Graecinus tyranni saevitia oppressus est. Qui quum non se ipse interfecisset, sed maiestatis haud dubie crimine circumventus supplicio affectus esset, accidit ut bona eius ab avarissimo principe publicarentur (cf. Tac. annal. VI, 29). Ita factum est, ut materna tantum bona ad filium redirent, nam *opibus nimiis non gaudebat, speciosae contigerant* (c. 44). His igitur optimis parentibus natus Agricola a. 40. *C. Caesare tertium consule idibus Iuniis* (c. 44. cll. Wex. prolegom. p. 199 sqq.) i. e. paucis mensibus ante patris necem *statim parvulus* (c. 4) a matre Massiliam deductus et egregia cura eruditus est.

Quo anno togam virilem sumpserit, non constat, videtur tamen ex aetatis illius moribus (*Marquardt.* V, 1. p. 130) de anno decimo sexto i. e. de anno 56. cogitandum esse. Quod utrum Romae factum sit an domi,

[1]) Illo annalium volumine in hac librorum penuria uti mihi non licuit. Neque tamen ita libris sum destitutus, ut vel Sillligii Plinio caream, quae *R. Foersteri* (über die ältesten Herabilder p. 10) videtur sententia esse. Immo iam pridem inde (vol. V. p. XIX) didiceram, fragmentum Pseudo-Appuleii Salmasianum a L. Appuleii herbario, quocum nuper confudit *Lucianus Müllerus* (mus. Rhen. 1867. p. 187) probe distinguendum esse.

quum dubitari liceat, alterum probabilius proxima sententia redditur, qua quae *prima in iuventa* i. e. post acceptam togam virilem (cf. annal. III, 29) egerit Agricola narratur. Ubi quum *studium philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori* dicatur, contraria quae praecesserat *Graecae comitatis* commemoratione indicari videtur, matrem rerum urbanarum pertaesam studia adolescentis senatorii in Graeca patria coercuisse. Quibus absolutis cum ad rem publicam accedere liceret, aut a tribunatu militum aut a vigintiviratu, ille militare tirocinium urbano magistratui praetulisse putandus est. Cuius ordinis non sane pariter frequentis exempla videsis apud Orelli-Henzen. n. 693. 3375. 4952. 5209. 5426. 6010. 6012. Nam quod semper factum esse Borghesio, ut putat, auctore Marquardtius III, p. 278. tradit, iuvenes senatorii ordinis primum in contubernio imperatoris stipendia fecisse, tum postquam munere aliquo vigintivirali functi essent, tribunos creatos esse, id neque sic a Borghesio enuntiatum est[1]) et Taciti verbis refellitur, qui contubernii mentionem cum *titulo tribunatus* coniunxerit.

In Britannia autem Agricola Suetonio Paulino fortissimo duci biennium amplius ab a. 59. usque ad a. 61. exeuntem studium industriam virtutem approbavit et particeps victoriae factus cum legato Romam rediit. Nam prudentius a *Merivalio* (hist. of the Romans under the empire VI, p. 45—47) Paulini victoriam reditumque eidem anno 61. ascribi quam a Wexio p. 190. et Hübnero mus. Rhen. XI, p. 49. alterum ad proximum annum differri mihi quidem narratione Taciti annal. XIV, 38. sq. effici videtur. Victoria parta exercitus *sub pellibus habitus* est i. e. exacta aestate non in hibernaculis, quo nova tantum quae e Germania advenerant auxilia deducta sunt, collocatus et legionario e Germaniis milite suppletus est, fame interim, cum nulla fere messis facta esset, indigenae conflictati sunt; atque Suetonius *detentus rebus gerundis tradere exercitum Petronio Turpiliano, qui iam consulatu abierat, iubetur.* Is autem consul illius anni ordinarius iam Kal. Iuliis privatus erat. Nonne his omnibus Suetonium ne autumni quidem spatio arma

[1]) Cum eo Borghesii loco, qui a Marquardto laudatur annal. dell' inst. arch. XX, p. 266: *i figli de' senatori ricevevano il tribunato laticlavio . . . subito dopo il XX — virato* velim alterum conferas opp. IV, p. 110. *Fu costume ordinario che i figli dei senatori o prima, o dopo il vigintivirato ricevessero il tribunato militare coll' onore del lato clavo.*

deposuisse indicatur? Accedit quod Turpiliani adventu narrato Tacitus *eodem anno Romae insignia scelera admissa* esse retulit atque capite demum 48. ad ea quae a. 62. evenere se convertit.

Itaque sub finem anni 61. Agricola *ad capessendos magistratus in urbem degressus* est sc. ad capessendum vigintiviratum (cf. annal. III, 29) quo anno proximo 62. functus est atque eodem anno *Domitiam Decidianam splendidis natalibus ortam sibi iunxit* (cp. 6.). „*De eius patre et universo genere nihil constat.*" Ita *Kritzius*, reliqui tacent. Quasi vero non exstaret titulus a *Grutero* 1103, 2. editus, a Borghesio opp. IV, p. 148. egregie restitutus, repetitus postea ab Henzeno n. 6456. et Marquardtio III, 2, p. 220:

t · *do*MITIO · T · F · VEL · DECIDIO
iii · VIRO · CAPITALI
*adlec*TO · A · TI · CLAVDIO · CAESARE
*augus*TO · GERMANICO · QVI · PRIMV*s*
*quaes*TOR · PER · TRIENNIUM · CITRA
*ordine*M · PRAEESSET · AERARIO · SATVRNI
PRAETORI

Notum est autem ab a. 44—56. aerario Saturni quaestores binos praefectos fuisse, qui eo munere per triennium fungerentur, tum extra ordinem statim praetores fierent (Dio. LX, 24. Suet. Claud. 24. Tac. ann. XIII, 29). Domitius igitur, anno 44. quaestor, a. 62. quadraginta tres annos natus filiam nubilem Agricolae collocavit, *idque matrimonium ad maiora* i. e. ad quaesturam *nitenti decus ac robur fuit.* Ac *decus* quidem gentis Domitiae nobilitate contineri apparet, *robur* quod fuerit, primus Wexius p. 205—7. indicavit, accuratius Mommsenus Hermes III, p. 80. explicuit. Scilicet Agricola quum anno fere 62. exeunte ex uxore filium suscepisset, legis Papiae Poppaeae beneficio contigit ut anno maturius ad quaesturam, deinde postquam filio amisso filia in quaestura *in subsidium auctus* erat, ut duobus annis ante legitimam aetatem ad tribunatum praeturamque accederet.

Itaque quaesturam gessit annum agens vicessimum quartum inde a die V. mensis Decembris anni 63. Quod enim nuper a Mommseno l. l. p. 81 sq. quaestores inde ab Augusti aetate Kalendis Iuniis magistratum iniisse dicuntur, ea quam certam esse ait v. cl., ratione nititur quae pro-

consulum fuerit. Id enim constare affirmat, hos a Kal. Iuniis magistratu functos esse, quod ib. II, p. 110. Dionis testimonio LVII, 14.[1]) et Borghesii auctoritate opp. I, p. 489. demonstrat. At vero quid tandem Dio narravit? Nempe nihil nisi hoc, Tiberium constituisse ut qui provincias sortiti essent, ne antecessorum reditus impediretur, ante Kalendas Iunias ex urbe vel ex Italia proficiscerentur. Borghesius autem tantum abest ut Mommseni sententiam tueatur ut Vibium Marsum tertio proconsulatus anno inde ab octo ultimis anni 30. mensibus usque ad quatuor primos proximi anni functum esse contendat. Quid quod ne haec quidem temporum definitio stabilis et immutata permansit. Miror enim alterum Dionis locum LX, 11. a Mommseno neglectum esse, quo narratur, Claudium ante Kal. Apriles proconsules in provinciam abire iussisse [2]).

Quum igitur profectionis tempus aliquatenus tantum lege Tiberiana definitum esset, adventus pro regionum longinquitate variaret, non videtur veri simile, urbani magistratus initium ad incerta proconsulatus tempora magis quam ad certa urbana et Italiae officia accommodatum esse, quibus cum consulibus quaestores coniungebantur. Qui, si quaestores Kal. Iuniis magistratum inissent, sive trimestres sive quadrimestres sive semestres sive bimestres semper non eosdem quaestores adiunctos habebant, quo quid fieri potuit importunius?

Hoc quoque e Mommseni sententia molestum est, quod quaestorii non uno anno sed octodecim fere mensibus post magistratum ad maiorem gradum pervenire poterant. Neque omnino sic Agricolae temporum ratio constaret. Qui si a Kal. Iun. anni 64. usque ad finem Maii mensis anni 65. quaestor fuit, quoniam lex ne honores continuarentur ita vetabat, ut inter duos magistratus non anni pars sed integer annus interesset (cf. Mommsen. p. 82), ante diem X. Decembris anni 67. tribunus, itaque ante Kal. Ian.

[1]) Ἐπειδή τε συχνοὶ τῶν τὰ ἔθνη κληρουμένων ἐπὶ πολὺ ἔν τε τῇ Ῥώμῃ καὶ ἐν τῇ λοιπῇ Ἰταλίᾳ ἐνδιέτριβον, ὥστε τοὺς προάρξαντας αὐτῶν παρὰ τὸ καθεστηκὸς χρονίζειν, ἐκέλευσε σφίσιν ἐντὸς τῆς τοῦ Ἰουνίου νουμηνίας ἀφορμᾶσθαι.

[2]) ἐνομοθέτησε . . . τούς τε κληρωτοὺς ἄρχοντας πρὸ τῆς τοῦ Ἀπριλλίου νουμηνίας, ἐπειδήπερ ἐπὶ πολὺ ἐν τῷ ἄστει ἐχρόνιζον, ἀφορμᾶσθαι.

anni 69. praetor ne fieri quidem potuit; atqui praeturam ad annum 68. referendam esse certum est. Denique quod ex Asia provincia redux Agricola *inter quaesturam ac tribunatum plebis atque ipsum etiam tribunatus annum quiete et otio* transiisse dicitur, aliter explicari nequit nisi ut vocem *annum* semel positam bis intellegamus, itaque non annum et dimidium sed singulos annos inter utrumque magistratum intercessisse putemus. Quaestor igitur die V. m. Dec. a. 63. factus proconsulem *Salvium Titianum* secutus est, viri consularis filium, qui quum nescio quo anno consul suffectus fuisset amplius annum in Asia commoratus postea a. 68. Othonis fratris in consulatu ordinario collega atque in bello civili socius fuit, a Vitellio clementer habitus. Uxorem autem secum duxit Agricola, aequalium multorum exemplo, postquam severior disciplina Tiberio regnante restitui non potuerat (cf. annal. III, 33), ibique *filia auctus* est, quae postea Tacito nupsit.

Neque vero dissimulandum est, hoc quidem loco Tacitum laudatoris potius partes quam rerum scriptoris egisse. Quum enim invictis argumentis *Nipperdeius* ad annal. XVI, 10. cll. XVI, 21 sqq. docuerit, Baream Soranum, auctorem haud dubie decreti Chiis dati quod in inscriptt. Graec. n. 2222. legitur, anno 65. i. e. e nostra ratione a mense Aprili vel Maio a. 65—66. Asiam rexisse, cui antecesserit L. Antistius Vetus, ab anni puta 64. mense Aprili vel Maio usque ad a. 65. (cf. annal. XVI, 10. cll. XV, 58.), sequitur Salvium Titianum circa mensem Maium anni 64. ex Asia decessisse eumque *Claudium Demianum, quem ob flagitia vinctum a Vetere Asiae proconsule exsolvit Nero in praemium servitutis*, Titiano fortasse non ingratum fuisse. Itaque Agricola invenit quidem in provincia *proconsulem in omnem aviditatem pronum,* sed per alteram anni partem eamque paulo fortasse maiorem sanctissimo praeside usus est.

Ex Asia igitur a. 64. exeunte Romam rediit atque anni quod legibus poscebatur intervallo intermisso die X. m. Decembris a. 65. tribunatu ornatus est, collega Aruleni Rustici, condemnationi Thrascae praesens interfuit neque, quod sane licebat tribunis (cf. annal. XVI, 26), senatus consulto intercedere ausus est. Quae autem ipse coram audierat viderat, Tacito haud dubie tam vivis coloribus depinxit, ut egregiae illius narrationis materiem genero praeberet. Neque causas, quod et ipsum tribunis in magistratu gerendo permissum erat (cf. Plin. ep. II, 13) egit, *gnarus*

sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Ea enim quae praeterea tribuni agebant, veluti regionum urbis quaedam administratio, *inertiae* nomine a Tacito comprehenduntur.

Extremo Neronis anno 68. praetura functus est, cuius *idem silentium* fuisse traditur, *neque enim iuris dictio obvenerat.* Quaeritur igitur, quid in praetura Agricola egisse videatur, nam aliquod saltem munus magistratibus singulis attributum esse, non est quod dubites. Quae quaestio etsi magna illa qua primo p. Ch. saeculo fluctuabat praetorum numerus varietate difficillima redditur, tamen id statim apparet, eos qui numero ab Augusto constituto addebantur praetores ad iuris dictionem atque aerarii administrationem plerosque omnes pertinuisse. Augustus autem cum duodecim praetores a. 23. a. Ch. institueret, duos aerario praeposuit (cf. Marquardt. II, 3, p. 261 sq. III, 2, p. 220), quod quum a Nerone duobus praefectis *praetura perfunctis* commissum esset (cf. Tac. ann. XIII, 29), ab Agricola ne potuit quidem administrari. Omissis autem illis duobus qui reliqui sunt decem ab Augusto partim iuris dicendi facultate praeditos partim urbanis regionibus praefectos esse constat: atque illis quidem praeter urbanam et inter peregrinos praeturam ac fortasse hastariam [1]) quidquid e quaestionibus reliquum erat (cf. *Walter,* röm. Rechtsgesch. § 799), attributum est: his e quattordecim urbis regionibus aliquot commissas, reliquas autem ab aedilibus et tribunis curatas esse Suetonius Octav. 30. et Dio Cass. LV, 8. retulerunt. Cum igitur illa aetate decem praetores, decem tribuni, sex aediles quotannis crearentur, quatuordecim regiones ita distributae videntur esse ut aediles, praeter duos Cereales quorum cura ad universam urbem spectabat, omnes singulis regionibus praeessent, quod magistratus ratio ferebat, reliquae decem aequis portionibus inter praetores tribunosque distribuerentur, quo factum est ut ex utroque collegio dimidia pars rei publicae, altera urbi vacaret. Quod autem sortito summi magistratus urbem inter se divisisse dicuntur, id dubitari possit utrum ad omnes

---

[1]) De inscriptione enim quae ab Henzeno 6453. edita est, quid dicam nescio. Quae nisi Borghesio probaretur (annal. dell. inst. XVIII, p. 317), pro falsa haberem, nunc mihi ut Mommseno suspectam aut certe ut Henzeno p. 512. interpolatam videri fateor. Ceterum defenditur a Grotefendio in annal. Rhen. XVI, 125. Reliquae posterioris aetatis sunt.

promiscue regiones pertinuerit an sic videatur accipiendum esse ut singula magistratuum collegia quaternas vel quinas regiones sibi attributas sorte inter se distribuerint.

Atque rem ita se habuisse inscriptione notissima efficitur (Orell. 736), qua non magistratus incertus sed *praetor cui haec regio sorte obvenerit*, omnibus annis litari iubetur.

Hinc igitur explicandum est quod basis Capitolina, qua de nuper docte et accurate *Iordanus* (nuove memorie dell' instituto arch. p. 215 sqq.) disputavit, a quinque regionum vicomagistris Hadriano dedicata est sc. ab iis quinque regionibus quae sive praetorum sive tribunorum collegio ac lege magis quam sorte attributae erant locorum vicinitate coniunctissimae. I. X. XIII. XII. XIIII. Ac nescio num forte factum sit, ut quae ex illis regionibus in inscriptionibus commemorantur, I. XIII. XIV. (*Fabretti.* X, 8. Gruter. 1017, 4. Orelli 782) praetoriae esse dicantur, quibus alter titulus ib. 736. nisi fallor addendus est. Nam cum iuxta templum Mercurii repertus perhibetur, potest et ad XIII. et ad XI. regionem referri, in quarum confinio aedes illa quaerenda est, cum contra regio III. tribunitia fuerit (Fabrett. II, 103).

Itaque urbem sic distributam veri simile est, ut regiones I. X. XII. XIII. XIV. a praetoribus, XI. VIII. II. III. IV. a tribunis, remotissimae V. VI. VII. IX. ab aedilibus regerentur. Utut est, Agricola cui nulla obvenerat iuris dictio, inter regionum praetores numerandus erit.

Postquam igitur eorum ludorum qui ante Neronis mortem i. e. ante d. V. Id. Iun. eos qui ei in partitione contigerant, Cereales puta, sive Megelenses vel Florales *medio rationis atque abundantiae* i. e. sic celebravit ut liberalitati ipsius pecuniae publicae ratio constaret (cf. Plin. panegyr. 38), a Galba *electus est ad dona templorum recognoscenda*, cui muneri accurata quam per magistratum nactus erat locorum publicorum cognitione quam maxime idoneus videbatur. Qua re factum est ut *geminato honore*, quod de se ipse Plinius praedicat (panegyr. 92) *dignitas dignitate augeretur.* Quam enim exquisitioribus verbis Tacitus indicavit, ea non extraordinaria cognitio fuit sed legitima illa *cura aedium sacrarum operum locorumque publicorum tuendorum*, de qua egregie, ut solet, Borghesius egit opp. IV, p. 151 sqq. Exemplis autem ex inscriptionibus docuit vir praeclarissimus, illam tutelam ex antiquo censorum officio

procreatam numquam ante praeturam sed viris et praetoriis et consularibus arbitrio principum conferri solitam esse. Agricolam unum in ipsa praetura curatorem creatum esse ita haud dubie explicandum est, ut e Neronis amicis qui tunc tutelam exercebat, a Galba amotus esse, Agricola autem eandem cum praetura eodem modo coniunxisse videatur, quo Plinium etiam tum praefectum aerarii consulatu ornatum esse constat (cf. Mommsen. Hermes I, p. 90). Cui officio cum strenue et sedulo satisfecisset, anno insequenti 69. privatus Martio, ut videtur, mense nuntio tristissimo ex urbe avocatus est, matre a classe Othoniana primo bello prope Albintimilium oppidum Alpium maritimarum in praediis caesa (cf. hist. II, 12). Quo cum *ad sollemnia pietatis* properaret Agricola, contigit, ut a bello civili inter Othonem Vitelliumque gesto remotus Vespasiani imperio incolumem se reservaret. Quodsi enim Romae mansisset, vix futurum erat ut qua flagrabat *militaris gloriae cupidine* in ea aetate qua legionis legatione dignus videbatur, a Suetonio Paulino Othoniani exercitus duce, cui iam in Britannia iuvenis industriam suam approbaverat, aut neglegeretur aut non sequi se iuberetur. Ille igitur, cum neutri fortasse parti faveret, in Liguria prudens delituit, donec mense Iulio exeunte rumor percrebuit, Vespasianum V. non. Iul. a Iudaico exercitu, Kal. Iul. Alexandriae a legionibus imperatorem salutatum esse (cf. hist. II., 79). Atque sparsis per Gallias litteris (ib. 86) tandem post proelium Cremonense Valerius Paulinus, Foroiuliensis municeps Galliaeque Narbonensis procurator, coloniam praesidio occupavit (ib. III, 43), quod accidit mense Octobri. Tum igitur Agricola *statim* i. e. ante Vitellii caedem ingressumque Muciani flagrante etiam tum bello *in partes* Vespasiani *transgressus est.*

Postquam autem Mucianus inde a die XXIV. m. Decembris res urbanas composuit, anno proximo 70. Agricolam *ad dilectus agendos* misit, per Italiam haud dubie, non in Britannia, quod male Wexius p. 190. statuit, nam de legionibus supplendis agebatur, non de auxiliis colligendis, i. e. de civibus Romanis conscribendis. Quod et ipsum inter ea munera erat, quae ante consulatum praetoriis viris mandabantur. Atque ita inverso ordine M. Claudius Fronto, quo de disputavit Borghesius (memorie dell' inst. I, p. 47. annal. XVIII, p. 346), saeculo secundo *missus ad iuventutem per Italiam legendam* et *curator operum locorumq. publicor.* fuit (cf. Henzen. 5478),

T. Caesernius Statius antequam legioni praeesset, *missus ad dilectum iuniorum a Divo Hadriano in regionem Transpadanam* (ib. 7420 a).

Hanc igitur provinciam, Agricola mense Martio accepisse putandus est. Nam quod Tacitus hist. IV, 46. narravit, *quibus aetas et iusta stipendia, dimissi cum honore,* etiam ad classiarios milites pertinuit, qui *e classicis Ravennatibus legionariam militiam poscentibus* sub hiemem anni 69. Antonio Primo se adiunxerant (ib. III, 52). Atque reapse legionem II. Adiutricem a Vespasiano conditam esse Dio C. retulit LV, 24. Iam vero Vespasianus ex ista legione *veteranis qui militaverunt in leg.* II. | *Adiutrice pia fidele qui vicena* | *stipendia aut plura meruerant* | *et sunt dimissi honesta missione* | . . . *civitatem dedit a. d. non. Mart.* | *Imp. Vespasiano Caesare Aug. II.* | *Caesare Aug. F. Vespasiano cos,* e quibus qui nominatur Nerva Laidi filius Desidiatus fuit i. e. natione Delmata (*Cardinali* diplomi imperiali tab. IV, p. XIX sq. cll. Grotefend. in annal. Rhen. XXXII, p. 77 sqq. Henzen. annal. dell' inst. 1862, p. 113). Itaque legionem illam tum primum institutam Agricola dilectu suo stabilivit, atque duos milites in Britannia sepultos, quorum alter stipendia ut videtur quinque [1]), alter decem meruerat [2]), ipse legisse in legionem, alterum etiam postea contra hostes duxisse videtur.

Legionem enim II. Adiutricem, cum primum Ceriale duce contra Civilem pugnasset (hist. V, 16), ab eodem Ceriale in Britanniam totam aut saltem e parte transvectam esse recte Grotefendus Henzeno probavit. Cui legioni cum VIII. et XXI. additae essent, duabus VI. et XI. ex Hispania, XIV. e Britannia in Germaniam accitis tandem mense fere Iulio (nam antea d. XXIII. mensis Iunii Capitolium consecratum erat, cf. hist. IV, 53. cll. 68). Petilius Cerialis contra Iulium Civilem profectus est, Agricola autem legioni XX. in Britannia praepositus.

Ibi autem res turbidas invenit. E Britannicis enim legionibus II. prompte in Vespasiani partes transgressa erat (hist. III, 44), reliquae IX. XIV. XX. diu nutaverant, ac vicesima inimicitiis inter Roscium Caelium

---

[1]) C · MVRRIVS | C · F · ARNIENSIS | FOROIVLI (sc. Venetorum) MO | DESTVS · MIL · LEG · II · AD · P · F | [7] IVLI · SECVNDI | ANN · XXV · STIP · [V] | H · [S · E.]

[2]) T · VALERIVS · T · F | CLA · PVDENS · SAV | MIL · LEG · II · A · P · F | 7 · DOSSENNI | PROCULI · A · XXX | AER · X · · · F · D · S · P | H · S · E.

legatum et Trebellium Maximum legatum pro praetore exortis agitata *tarde ad sacramentum transgressa* erat. Quod accidit circa mensem Novembrem a. 69; nam Britannias a Vitellio desciscere tum fere Romae innotuit, dum inter Vitellianos et Flavium Sabinum certatur (hist. III, 70)[1]). Atque haec discordia Vettium Bolanum, qui Trebellio successerat, impediverat quominus bellum contra Brigantes acriter persequeretur, auxilia enim sola Venusio opem tulerunt (hist. III, 46). Cum autem legione XIV. in Germanias missa exercitus Romanus magis etiam minutus et debilitatus esset, primo anno *temperavit Agricola vim suam* et disciplinam legionis suae restituisse satis habuit. *Brevi deinde Britannia Petilium Cerialem accepit.* Quod factum est neque, ut Wexius putabat p. 196, anno 72, neque, ut Cardinalius diplomi imperiali p. 89, sub finem anni 71, sed verno eiusdem anni tempore. Cerialis enim primo suo consulatu per alterum anni 71. nundinum functum esse, ex iis quae apud Tacitum hist. IV, 68. cll. V, 16. et Iosephum bell. Iud. VII, 4, 2. narrantur inter se comparatis apparet. Nam illud Hübnero (mus. Rhen. XII, p. 503 sqq.) minime concedo, Ceriali Britanniam provinciam datam esse, ad quam cum proficisceretur, quasi obiter Civilem oppresserit. Ac Tacitus quidem disertis verbis tradidit Annium Gallum et Petilium Cerialem a Muciano ad bellum dilectos esse, sc. illud in superiore, alterum in inferiore Germania gerendum, neque omnino fieri poterat ut privata quodammodo auctoritate Cerialis alienae provinciae obtruderetur. Sed nonne Iosephus contradicere videtur? Nempe loco corrupto, quem infelicius Hübnerus tractavit, nos leni mutatione corrigi arbitramur. Ille enim *ὥσπερ* inquit *ἐκ δαιμονίου προνοίας Οὐεσπασιανὸς πέμπει γράμματα Πετελίῳ Κερεαλίῳ τὸ* (al. *τῷ*) *πρότερον ἡγεμόνι Γερμανίας γενομένῳ, τὴν ὕπατον διδοὺς τιμὴν καὶ κελεύων ἄρξαντα Βρεττανίας ἀπιέναι· πορευόμενος οὖν ἐκεῖνος ὅποι προσετέτακτο καὶ τὰ περὶ τὴν ἀπόστασιν τῶν Γερμανῶν πυθόμενος, ἤδη συνειλεγμένοις αὐτοῖς ἐπιπεσὼν — ἠνάγκασε σωφρονεῖν.* Quae quoniam sive eadem sive simili ratione a Tacito narrantur, ea quoque quae nova Iosephus addidit, diversa esse nequeunt. Concinunt autem postrema.

[1]) Ineptum glossema *ubi decessor seditiose agere narrabatur* merito Wexius et Nipperdeius expulerunt (cf. mus. Rhen. XVIII, p. 350).

Cerialis qui ad deditionem Batavos Gallosque compulit, urbem in provinciam proficiscens iam reliquerat, cum quantum imperio in Germania periculum immineret, Mucianus cognovit atque ipse cum Domitiano ad iter Lugdunense se accinxit (cf. histor. IV, 68). Consentaneum est igitur, Cerialem in itinere si non de defectione ipsa sed de discriminis gravitate certiorem factum esse. Itaque cum in provinciam properaret, quam pariter ac Gallus (cf. V, 16) Romae acceperat, per Gallias iter non fecisse putandus est, praesertim cum exercitu, cuius partem saltem *secum transvexerat* (IV, 71). Atque tetendisse eum quo missus erat, diserte Iosephus retulit: hoc quoque probabiliter et vere narravit, Cerialem statim postquam consulatu per alterum nundinum gesto abierat, in provinciam profectum esse (cf. Borghes. ap. Cardinal.). Itaque falsa sunt necessario quae adduntur, eum in Britanniam missum esse, cum antea Germaniae praefuerit. Quae cum Hübnerus ita corrigere studet, ut verba τὸ πρ. — γενομένῳ tamquam postea male addita expellat, et ἄρξαντα in ἄρξοντα mutet, id ipsum reliquit quod ferendum non est, Cerialem in Britanniam missum esse. Quod enim fortasse Cerialis consulatuum duos annos 71. et 74.[1]) a Iosepho permutatos esse putat, eodem modo Cerialis in aliena provincia bellum gessisset. Quid multa? Duo nomina propria a librariis permutata sunt[2]), quae praepositione addita ita transponenda sunt, ut legatur τὸ πρότερον ἡγεμόνι Βρεττανίας γενομένῳ et εἰς Γερμανίας ἀπιέναι. Antea enim legionis legatum in Britannia fuisse constat, cf. annal XIV, 32. Itaque Cerialis cum *flexu autumni* res Batavorum composuisset (hist. V, 23), primo vere anni 71. ut bellum cum Brigantibus profligaret (cf. hist. III, 64. cll. Agric. 17) ad Britanniae legationem promotus est. Maiorem enim huius provinciae dignationem fuisse demonstratur compluribus inscriptionibus, in quibus variarum provinciarum series ita disponitur, ut posterior Britannia enumeretur (cf. Borghesi IV, p. 169). Ubi cum reliquo exercitu, quem Cerialis legione II. Adiutrice e Germania secum adducta auxisse

[1]) *Hoc tamen certum videtur primis legationis annis mortuum esse.* Ita Kritzius ad c. 17. anno 1865. iudicavit, quasi ne Henzeni quidem liber exstaret (cf. n. 5418).

[2]) Quid quod ab ipso scriptore Breuningio nomina Eleonoram et Fidelionem permutata esse egregie nuper demonstravit *O. Iahnius* (musikalische Aufsätze p. 237 sqq.).

putandus est, Agricola prospere contra Brigantes pugnavit, *aliquando maioribus copiis* quam suae legioni eiusque auxiliis praefectus, et anno eodem ac legatus praetorius e provincia decessit. Atque illi quidem Iulius Frontinus successit, nihili enim esse quae de ignoto quopiam successore, ut loco a *Weissenbornio* et *Halmio* probabiliter restituto cap. 17. subveniretur, *Poleno* auctore cum aliis finxit Hübnerus l. l., prudenti iudicio *Schoemannus*, quem honoris causa nomino, intellexit in programm. Gryphiswald. a. MDCCCLIX—LX. p. 10 sqq. Cf. infra.

Agricolam autem *revertentem ab legatione divus Vespasianus inter patricios ascivit* sc. censurae nomine quam a. 74. gessit, cf. Plin. nat. hist. III, 66. VII, 162. cll. chrestom. Plin. p. XIII sq. Censorin. 18, ea potestate usus quae Claudii aetate imperatoribus videtur esse attributa (cf. Mommsen. res gestae d. Augusti p. 20); simul cum Domitio Afro (Orell. 773 = 4023), Neratio Marcello (Henzen. 5447), Annio Vero (Iul. Capit. M. Ant. 1.) aliisque *lectis undique optimis viris* (Aurel. Vict. Caes. 9), ad quam dignitatem aut praetorii (Orell. l. l. et 1006) sive tribunicii (Orell. 3135) promovebantur, qui a Tacito annal. XI, 25. *vetustissimus quisque senatorum* appellantur, aut post *vigintiviratum quibus clari parentes fuere*, qui sive lecti in patricias familias (Orell. 922. 3042) sive inter patricios dicuntur (Henzen. 5447. 6052). Atque Agricolam et locus quem inter vetustos senatores praetorium occupabat et laus qua a Ceriali ornabatur (c. 8 *nec sine gloria erat*) imperatori commendaverant.

Cui cum exacto quod usu poscebatur triennii intervallo iam ad consulatum aspirare (cf. Borghes. III, p. 113) provinciamve senatoriam sortiri liceret (cf. Dio. LIII, 14); Vespasianus eum eodem anno 74. *provinciae Aquitaniae praeposuit, splendidae imprimis dignitatis administratione ac spe consulatus, cui destinarat.* Quem locum nuper *Henningsius* in nov. annal. phil. 1866. p. 377 sqq. ita explicuit ut genetivos ad hominem non ad provinciam referret, scilicet quia spes consulatus cum illa provincia minime coniuncta fuerit. Uno enim Galbae exemplo qui post Aquitaniae legationem consulatum adeptus sit, nihil probari. Ac Kritzius quoque quandam consuetudinem fuisse negat, *ut Aquitaniae praepositus consul fieret*, Orellius vero *absurda* inquit *foret sententia Aquitaniam provinciam eam ante ceteras omnes fuisse, cuius legati postmodo mox consules designarentur.* Wexius autem

etsi recte *Ernestii* annotationem prudentissimam, *spem consulatus cum hoc munere coniunctam* fuisse repetivit, tamen provinciam non regionem sed munus esse voluit, quasi consulatui vel legationi quisquam praeponi potuerit. Mitto reliquos qui aut structurae membra distorserunt aut ad varias confugerunt coniecturas. Ac *splendidae* quidem *dignitatis* provinciam eodem modo vocari quo coloniae splendidae appellantur, loci autem dignitatem, quam etiam ad rem indignam Suet. Calig. 41. adhibuit, in columnis, porticibus, portubus, urbibus praedicari lexica docent. Splendida igitur dignitas sive auctoritas Aquitaniae iam propter amplissimae administrationis gravitatem ut uni e *validissimis terrarum partibus* (hist. III, 53) tribuitur, cui accedit ordo provinciarum quo post alias ultima ante consulatum Aquitania administrari solebat. Galba a. 32. Aquitaniae anno fere praefuit, mox a. 33. consulatum gessit (Suet. Galb. 6). Ita Dubius quoque Avitus ab anno 58. legatus in Germania inferiore i. e. consularis (annal. XIII, 54 sqq.) postquam a. 57., ut videtur, consul suffectus fuit, antea Aquitaniam rexerat (cf. Plin. XXXIV, 47. chrestom. Pl. p. 314). Quo provinciae praesidente Zenodorus Arvernis colossum Mercurii fecit, cuius operis excellentia Neroni Avito haud dubie auctore probatus ab. a. 64. i. e. post incendium Romae colossum caelavit. Itaque Mercurio fingendo cum decem annos insumpsisset, anno 54. artem exercere coepit et praesidi approbavit. Is igitur Avitus inter annum 54. et 57. Aquitaniae praefuit indeque ad consulatum vocatus est. — Idem ordo in titulis honorariis reperitur, nusquam Aquitania aliam provinciam praetoriam praecedit, semper sequitur. Ita apud Boissieu. p. 82. legatum Aquitaniae antea proconsulem Cretae et Cyrenarum fuisse legimus [1]); ita Senecio Memmius consulatu ut honorum fastigio, quod saepissime factum est, praemisso (cf. Borghes. III, p. 182. IV, p. 107)

[1]) . . . CALFIDO . . .
GALLO PACC . . . *quaest.*
PROVINC. MACEDONIAE . . . *praet.*
*curato*RI VIAE TIBVRTIN VALER LEG LEG. . . . *proconsuli*
PROVINC CRETE ET CYRENARVM LEG *aug. pr. pr. provinc.*
AQVITANIC VIIVIRO EPVLON. SODALI *Hadrianali.*
CIVITAS LEMOVIC

Ultimos versus optime restituit *Renier.* ad Borghes. II, p. 404.

PROCOS. SICIL. LEG. PR. PR. AQVITAN appellatur apud Henzen. n. 6907; certius M. Iuventius Rixa post praeturam *pr*AEF. FRVMENT. DAND | *praef. aerarI Sa*T. PROCOS. PROVINC | . . . *leg. Aug. pr. pr. pro*VINC. AQVITAN. COS; aliquanto etiam luculentior est titulus quem L. Iulio Iuliano . . . PROCONSVLI | PROVINCIAE. ACHAIAE | LEG. LEGIONIS. SECVNDAE | AVGVST. LEGAT. AVG | PRO. PR. PROVINCI | AE. AQVITANIAE. CON | SVLI. OFFICIALES | EIVS. PROVINCIAE. AQVITA | NIAE. OPTIMO. PRAESIDI | HOMINI. BONO Ocriculi in honorem consulatus posuerunt statim postquam e provincia decedens consul factus est (Borghes. IV, p. 110); omnium autem gravissimum titulum in ipsa provincia uxori statuit M. CENSOR. PAVIVS LEG. AVG. PR. PR. PRO | VINC. AQVITAN. COS. DESIG. (Orell. 189). Quod igitur de Iuliano suspicari licet, antequam e provincia abiret, eum iam consulem designatum fuisse, id M. Pavius sibi contigisse ipse diserte testatur. Unum igitur incertum relinquitur, Agricola utrum iam designatus consul in provinciam profectus sit an eo consilio ab imperatore dimissus sit, ut designatus revocaretur. Utrumque enim destinandi vocabulo significari potest. Idem ac „designare" valet annal. I, 3. II, 36. VI, 40. Hist. III, 55. Sueton. Caes. 1. Calig. 12. Vitell. 15. Plin. panegyr. 77. 95. in inscript. ap. Borghes. I, p. 351. annal. Rhen. XXIII, p. 22. al. Item de sponsalibus usurpatur annal. VI, 15. 30. Plin. ep. VI, 26. Qui quidem loquendi usus tam frequens est apud Tacitum, ut si participia omiseris, veluti annal IV, 40. hist. I, 14. fere solus valere videatur. Itaque, etsi prudentissimus princeps in tres annos consules designasse minime putandus est, tamen quod apud animum constituerat, ut Agricolae legatione finita consulatum tribueret, id etiam declarasse videtur, eodem puta mandato quo provinciam detulit, sicut antea Cerialem consulem et legatum Germaniae iisdem codicillis creavit.

Quod autem de *administratione* praemittitur, procuratorum praesertim inscriptionibus comprobatur, qui ab Aquitania provincia ad summum eius muneris gradum, ad procurationem a rationibus vel a libellis et censibus, haud raro promovebantur, nusquam vero ad alteram provinciam descendebant. Ita C. Iunius Flavianus (Boissieu p. 240 = Orell. 3331), qui antea tribunus legionis VII. Geminae fuerat a Galba (Borghes. IV, p. 220) non, ut *Fried-*

länderus natalic. 1861. p. 8. putat, a Vespasiano cognomen adeptae, quartam procurationem provinciarum Lugdunensis et Aquitanicae nactus deinde procurator a rationibus factus est, C. Minicius Italus praefecturam annonae accepit (Orell. 3651). In splendidissima igitur administratione magna prudentia Agricolae opus fuit, qua usus *procul ab aemulatione adversus collegas, procul a contentione adversus procuratores et vincere* (sc. collegas) *inglorium et atteri* (sc. a procuratoribus) *sordidum arbitrabatur.* Nam collegarum quo nomine ut hist. I, 10. reliqui Galliarum legati designantur aemulatio, cuius exemplum in Germania annal. XIII, 54. legitur, eo magis cavenda erat, quum tres in quas Gallia Caesaris distributa erat provinciae concilio Galliarum quod Lugduni apud templum Augusti compluribus magistratibus instructum florebat (cf. *Kuhn*, Verf. des röm. Reichs II, p. 424) artius quam reliquae cohaererent atque etiam in censu agendo a singularibus magistratibus coniunctae taxarentur. Qua commodorum et vectigalium societate eo plerumque imperatores adducti sunt, ut aut duas, Lugdunensem praesertim et Aquitanicam, aut addita Belgica tres Gallias uni procuratori administrandam traderent. Cf. Boissieu. p. 235. 240 sq. 246. 251 sq. *Kellermann* Vigil. n. 31. Orell. 3381. 3651. Henzen. 5480. 5530. 6642. 6816. 6928. 6929. 6933. 6944. Quod an tum forte factum sit dubito, nam Domitiani saltem ultimis temporibus provinciae Aquitanica et Lugdunensis, item Lactora ab uno procuratore regebantur[1]). Tantum igitur abest ut, quod Marquardtius nostro loco deceptus III, p. 89. statuit, plures in una Aquitania procuratores adfuerint ut verisimilior contraria ratio videatur. Quodsi quaerimus, quomodo a procuratoribus sibi caverit Agricola, de minoribus cogitandum non esse apparet, quippe qui non ipsius sed procuratoris officio additi fuerint. Sed incerto potius atque indefinito illo plurali concinnitatis et amplificandi causa usus est scriptor, quo c. 5. *incensas colonias* et *intersaeptos exercitus*[2]) cum *veteranis*

[1]) C. enim Minicius cuius titulus ad a. 105. pertinet, ante praefecturas annonae et Aegypti procuratione Aquitaniae functus erat. Qui cum a Vespasiano donis militaribus ornatus sit, tribunatum legionis VI. Agricola duce videtur gessisse.

[2]) Ita enim procul dubio c. 5. scribendum est cum codicibus, quorum optimam lectionem Puteolanum secuti temere editores contempserunt, eamque receperunt quae

trucidatis copulavit, etsi non plures coloniae et unus exercitus in provincia fuerunt. Quam numerorum licentiam accurate exposuit *Rothius* in exc. ad Agric. p. 109 sqq.

Minus triennium in ea legatione detentus ac statim ad spem consulatus revocatus est, sc. postquam die IX. m. Ianuarii anni 77. consul suffectus alterius nundini in curia designatus et in campo paulo post renuntiatus est (cf. Mommsen. l. l. p. 93 sq.), proximo fere mense in urbem rediit, cum aliquot menses ad triennium deessent; *comitante opinione* officialium *Britanniam ei provinciam dari . . . quia par videbatur.* Summa enim huius provinciae dignitas quae uni Syriae posthabebatur, ordine legationum complurium comprobatur. Ita in titulo apud Borghes. IV, p. 169. homo quidam cuius nomen periit, a Germania inferiore ad Britanniam, postremo ad Syriam provinciam promovetur, apud Henzen. 5480. Statius Priscus a Moesia ad Britanniam, inde in Cappadociam belli Parthici gerendi causa a L. Vero avocatus est, Iulius Severus e Britannia ab Hadriano ad bellum Iudaicum indeque in Syriam missus est (Mommsen. ap. Borghes. l. l.); item Q. Roscius (ib. p. 125) post Moesiam inferiorem Britanniam, postremo Asiam pro consule rexit, Caerellius (cf. Hübner. mus. Rhen. XII, p. 72) e Germania superiore in Britanniam profectus est.

Consul egregiae tum spei filiam nubilem Tacito despondit *ac post consulatum collocavit.* Filiae enim quippe quae tum tredecim annos nata esset, (cf. Friedländer, Darstell. I, p. 387), consentaneum erat ut statim postquam in urbem redierat, dignum maritum eligeret. Nihil enim aliud verbis exquisitioribus quibus v. *iam* a Wexio suppeditatum praemisit *Ritterus*, significari nisi ad pubertatem pervenisse, elegantissimo carmine sepulcrali demonstratur (ib. p. 314, Mommsen. Inscr. reg. Neap. 1603, *Fröhner* Philolog. XIII, p. 172): *Bis mihi iam senos aetas compleverat annos — Spemque dabat talami coniugiumque* [*mihi*].

a rerum veritate quam maxime abhorret. Nam nullus omnino exercitus interceptus est a. 61. aut fugatus, sed cum sparsis inter castella militibus Suetonius procul abesset, legio IX. sola pugnaret contra hostes, II. castris se teneret, aliquando tandem legione XIV. cum vexillatione leg. XX. auxiliisque coniuncta iusta acie confligi posset, (cf. annal. XIV, 31 sqq. Agr. c. 16) exercitus Romanus rectissime intersaeptus vocatur.

Generum autem delegit annos, ut videtur, XXII annos natum. Quae enim a Nipperdeio ad annal. p. IV. afferuntur argumenta quibus motus anno 54. natum eum esse iudicat, propterea non prorsus satisfaciunt, quia Taciti dignitas quaestoria a Vespasiano die XXIII. m. Iunii a. 79. mortuo die eiusdem anni V. m. Decembris inchoari non potuit. Nihil igitur obstat, quo minus quindecimviratum a Vespasiano adolescenti datum esse putemus. Haec enim quatuor amplissimorum collegiorum ratio fuit, ut pontificatus auguratusque consularibus viris, perraro praetoriis tribuerentur (cf. Seneca de ira III, 31. Borghesi IV, p. 175. 451), quindecimviratus et septemviratus iunioribus, etiam priusquam senatoriam aetatem nanciscerentur, concederentur. Ita L. Manlius eodem anno triumvir monetalis fuit et XVvir sacris faciundis (Borghes. I, p. 360): sic *Otho pontificatus auguratusque honoratis iam senibus cumulum dignitatis addidit aut recens ab exilio reversos nobiles adulescentulos avitis ac paternis sacerdotiis in solacium recoluit* (hist. I. 77); sic denique Claudius procuratoris *liberi* rogat, *fruantur primo sacerdotiorum gradu*, *postmodo cum annis promoturi dignitatis suae incrementa* (orat. Claud. II). Atque hoc modo Tacitum conicio et ipsum, ut videtur, procuratoris filium, postquam Agricolae ab Iulio Secundo ex eadem Gallia oriundo (cf. de orat. 2. Quintil. X, 3, 12 sq. inscript. fabri eretarii CIVLSEC ap. Boissieu. p. 434) laudatus sit, ab eo et generum electum et Vespasiano, apud quem ipse summa florebat gratia, commendatum esse, cui XVviratus ac spes senatorii ordinis conferretur, itaque factum esse ut XXV annos natus a Tito a. 80. quaestura, postea reliquis praeter consulatum magistratibus ante mortem soceri ornaretur.

Post consulatum igitur Agricolae pontificatus sacerdotium ab imperatore accepit, litteris puta commendaticiis, e quibus a collegio cooptatus est. Haec enim illa aetate ratio invaluerat, ut omnibus consularibus sacerdotia conferrentur (Borghes. IV, p. 173) iique ex imperatorum litteris in collegia a sacerdotibus reciperentur (cf. Borghes. III, p. 499 sqq.).

Praeterea tanti virum egregie sibi probatum fecit imperator, ut *statim* i. e. anno 78. legatus Augusti pro praetore Britanniae praeponeretur itaque, quod aut rario alias aut numquam fieri memini (cf. Henzen. annal. 1862, p. 146) eiusdem provinciae, in qua tribunus militum legionisque legatus fuerat, legatus pro praetore crearetur. In quam brevi non post-

quam magistratu abierat, illa particula properasse dicitur, sed post filiae nuptias. Nam altero nundino anni 77. consulibus ordinariis Vespasiano et Tito suffectum esse certum est: quando autem consulatum ingressus sit, difficillimum est ad diiudicandum propterea quod qui Vespasiani aetate consulatuum ordo fuerit non constat. Ac primum quidem a. 69. quatuor mensium spatio singulos comprehensos fuisse ingeniosa interpretatione Borghesius III, p. 535. e Taciti verbis hist. I, 77. collegit. Otho enim cum Galbae et T. Iunio in magistratu caesis ipse cum fratre usque ad Kal. Martias succederet, proximos menses Verginio Rufo et Pomponio Vopisco destinavit, *ceteri consulatus ex destinatione Neronis aut Galbae mansere, Caelio ac Flavio Sabinis in (Kal.) Iulias, Arrio Antonino et Mario Celso in Septembres, quorum honoribus ne Vitellius quidem victor intercessit.* Quae sic explicuit Borghesius, ut quantum ex ordinario consulatu reliquum esset ab Othone assumptum, menses Maium et Iunium Sabinis ablatos amicis concessos esse statueret, Arrio autem et Mario qui initio stabiliti erant menses permitteret. Quae quadrimestria tempora cum a. 92. servata esse certissimo teste fastis Ostiensibus (Henzen. n. 6446) constet, inde quadrimestres consulatus a Vespasiani imperio usque ad Domitiani Traianique aetatem fuisse contendit [1]). Postea tamen, quod ab Hübnero (l. l. p. 55) didici, idem Borghesius valde incertum esse Vespasiani temporibus consulatuum ordinem fassus est, ipseque Hübnerus trimestres fuisse suspicatur. Recte ille quidem, nisi fallor. Nam etsi donec thesaurus fastorum a Borghesio relictus insigni imperatoris Napoleonis III. munificentia eruditis hominibus totus aperietur, certi quidquam de re impeditissima affirmare nemo sanus audebit, illud tamen meo iure contendo, in Taciti loco explicando virum summum lapsum esse. Nam primum quidem cum Othonis consulatus ad Kal. Martias pertinuerit, non Maius et Iunius Caelio et Flavio detracti sunt, sed aut his aut ipsi Othoni Martius et Aprilis. Tum particula disiunctiva indicatur, Sabinis a Galba, Arrio Antonino et Mario Celso a Nerone magistratus destinatos esse. Denique non omnes utriusque principis designationes enumerantur, sed eae

[1]) Borghesii rationem in Traiani extremumque Domitiani imperium non quadrare monuerunt *Brambachius* de cons. Rom. mutata — ratione p. 10. et Mommsenus Hermes p. 91.

tantum quae ab Othone et Vitellio immutatae sed casu magis quam lege *mansere*. Equidem cum *Ryckio* et Orellio ad hist. II, 71. bimestres illius anni consules fuisse censeo, a Nerone, Galba, Othone, Vitellio designatos ita ut Nero, qui *consulatum in senos plerumque menses dedit* (Sueton. Ner. 15), Arrio Antonino et Mario Celso ultimos sex menses tribuerit, Galba quatuor primis mensibus contentus Maium Iuniumque Sabinis dederit, Iulium et Augustum Neronis candidatis permiserit, e quibus Marium Celsum Galbae *usque in extremas res amicum fidumque* praedicat scriptor I, 14. cll. 46, Septembrem Octobremque Valerio Marino et Pedanio Costae, Novembrem Decembremque Marcio Macro et Quintio Attico promiserit. Otho autem nihil mutavit, nisi quod sibi fratrique in Martium Aprilemque Verginium Rufum et Pomponium Vopiscum subrogavit, Vitellius Galbae candidatis ademptos Septembrem Octobremque Caecinae ac Valenti dedit, Marcio Macro Caecilium Simplicem substituit (cf. I, 77. II, 60. 71.[1]) III, 37. 68. 73).

Cum igitur liberum de Vespasiani temporibus nobis iudicium relinquatur (nam inscriptionem fratrum Arvalium, in qua quadrimestribus breviores consulatus reperiuntur, ab Henzeno annal. 1867. p. 272. editam Mommsenus l. l. p. 91. ad Domitiani potius aetatem spectare asseruit), tamen ut trimestres potius tum quidem consulatus fuisse putem iis quae de anno 74. aut certo constant aut probabiliter coniciuntur adducor. Nam Cerialem huius anni mense Maio Romae consulem fuisse Vespasiani tabula (Henzen. 5418) *a. d. XII. K. Iunias Q. Petillio Ceriale Caesio Rufo $\overline{II}$. T. Clodio Eprio Marcello $\overline{II}$. cos.* data efficitur, Frontinum autem eiusdem anni proximo nundino consulem fuisse Borghesius e feriarum Latinarum, quae Iunio exeunte aut primis Iulii diebus agi solebant, fragmento

lat. fuer- - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - - - - -
COS
sex. iulio. frONtino

sagaci coniectura elicuit (cf. Hübner. l. l. p. 54). Quodsi Cerialis mense

[1]) Qui locus sic interpungatur oportet, ut *coartati consulatus* non ad tempora sed ad numerum candidatorum referantur: *coartati aliorum consulatus: dissimulatus — ducis; et Valerium — laturum; Pedanius Costa — servitii.*

Maio, Frontinus mense Iulio eius anni, quo ordinarii consules Caesares fuerant, suffectorum munere functi sunt, sequitur, alterum a Kal. April. ad Kal. Iulias, alterum a Kal. Iul. ad Kal. Sept. consules fuisse. Quum igitur Cerialis vere anni 74. bello contra Brigantes nondum profligato provincia decessisset (c. 17), Frontinus autem ante mensem Octobrem ex urbe proficisci non posset, per aestatem illius anni quaeritur quae Britanniae fuerit condicio. Ac successorem quidem nescio quem ad paucos menses missum esse, quae Borghesii Hübnerique sententia est, non putaverim. Insigni enim contumelia ut ante tempus revocaretur opus erat, aut si forte in legatione praematura morte exstinctus esset, ne id quidem silentio praeterire Tacito c. 17. licebat. Ille autem magnos duos, neque ignavum neque infelicem ullum commemoravit atque Ceriali Frontinum parem fuisse praedicavit. Quod enim *alterius successoris* dixit, non Cerialem sed Frontinum cum quolibet alio comparavit. *Cerialis alterius* ac sui *successoris curam famamque obruisset*, cum autem Frontinus ei succederet, non obruit. Ita hist. II, 90. Vitelium *tamquam apud alterius*, non suae, *civitatis senatum populumque* contionatus est. Capitolin. v. Valerian. 1. *alter non esset electus* ac qui electus est Itaque postquam Cerialis ut consulatum ingrederetur triennio suo non absoluto provincia decessit, ita res videtur administrata esse, ut procurator vice praesidis (cf. Orell. 365. Henzen. 6932) adhibitis legionum legatis (cf. hist. I, 60) Britanniam regeret. Qui cum segnius res per aestatem gessisse putandi sint, Frontinus *(subiit) sustinuitque molem belli*, quorum verborum alterum voci *curam* alterum voci *famamque* respondet.

Huius igitur Frontini successor Agricola postquam per tres menses anni 74. consulatu functus hieme proxima filiam Tacito collocavit, inque pontificum collegium receptus est, comitante uxore (c. 29) *media iam aestate* i. e. mense Iulio Britanniam provinciam ingressus est, quam quanta gloria per septem fere annos administraverit ignotum est nemini. Septem annos dixi, nam id quidem et Wexius et nuper Nipperdeius mus. Rhen. XIX, p. 106. luculenter demonstrarunt, qui c. 33. legitur *octavus annus*, corrigendum esse, ac recte quidem Nipperdeius *Acidalii* emendationem *septimus* probavit. Itaque in re notissima immorari taedet, illud tamen cognitu non indignum videtur quo exercitu instructus Britannos Agricola vicerit. Quatuor legionibus videtur usus esse: II. Augusta, IX. et XX.

(cf. Hübner mus. Rhen. XI, p. 1 sqq.), quibus bello contra Civilem gesto II. Adiutrix accessisse putanda est (cf. Grotefend. annal. Rhen. XXXII, p. 77 sqq.). Nam quod a. 83. *diviso in tres partes exercitu incessit*, non semper factum esse sed *superante numero* hostium ipse scriptor significat c. 25. Neque mirandum est, cum nullus fere praeterea hostilis exercitus in armis esset, Vespasianum qui suae ipsius laudis, quam inde reportaverat memor prae reliquis provinciis praecipuam Britanniae operam dabat, summosque duces in eam mittere solebat, etiam exercitum cum praesertim IX. legio inopia militum laboraret (c. 26), addita legione auxisse, quae a Domitiano Suebico bello commorto avocata sit (Henzen. 6766) Impeditior quaestio est de cohortibus auxiliariis. Cum enim magna rei militaris commutatio bellis a Domitiano et Traiano gestis facta esset, ex iis cohortium nominibus quae in tabulis honestae quas dicunt missionis annorum 104 vel 103 (Henzen. 5442). 106 (*Lysons* reliq. Britann. plate I). 124 (Henzen. 5455) commemorantur solis certi nihil colligitur, e reliquis illorum temporum tabulis, velut 80 (Henzen. 5418). 85 (5430). 86 (5433). 106 (6857). 110 (5443). 114 (6857 [a]) illud tantum, quae in Pannonia, Iudaea, Dacia nominantur, a Britannico exercitu procul habendas esse. Certiora ab ipso Tacito edocemur, omnia Agricolae auxilia e Galliis, Germania, Britannia desumpta Britannorumque *plerosque* i. e. magnum numerum fuisse (c. 32). Hübnerum igitur, cum Britannorum nullas in insula cohortes militasse ait (l. l. p. 26), fefellit opinio. Sic in Pannonia *ipsa e provincia lecta auxilia* commemorantur ann. XII, 29. Peditum autem auxilia octo milia, equitum tria milia praeter IV alas (c. 37) fuisse idem scriptor retulit c. 35. Quae igitur in tabulis Britannicis cohortes sive Gallorum sive Germanorum esse dicuntur, eae nisi contrarium probari poterit, Agricolae copiis addantur oportet. Atque quae a vetustis militibus Batavis Tungrisque, quos *lectissimos auxiliarium* c. 18. appellat scriptor (cf. XIV, 29), distinguuntur cohortes, per Germanias Galliasque conscriptas esse, praeclara Usiporum defectione c. 28. docemur. Iam illas novimus quinque fuisse (neque enim c. 36. cum Rittero numerus qui excidit Batavarum cohortium *quinque* sed *tres* restituendus est e vulgata lectione, ita tamen ut non *tres Batavorum cohortes* sed extrema vocabuli proximi syllaba repetita *Batavorum cohortes tres* scribatur). Inter quas I. Tungrorum miliaria fuit (Henzen. 5442) II. miliaria

equitata (Hübner. p. 42) i. e. peditum DCCLX, equitum CCXL. Batavorum cohortes tres quingenariae videntur fuisse, quae additis Tungris tria milia ducentos sexaginta milites efficiunt. 3260

His si e tabula Neratii Marcelli, quae aetate proxima ad Agricolae expeditionem accedit, Gallicas Germanorumque cohortes adieceris, has fere reperies, e Gallia Belgica et Germania inferiore (cf. Plin. nat. hist. IV, 106) omnes: Morinos, Gugernos, IV^{tam} Lingonum, Baetasios, II^{dam} Frisiavonum, Sunucos, Nervios (omitto enim Vangiones e Germania superiore postea ut videtur transvectos). Quae septem cohortes quingenariae nu- 3500
merum vetustarum paulisper superant, quibus addita auxilia Gallica et Germanica $\overline{\mathrm{VI}}$. DCC. LX militum efficiunt. Quibus una cohors Britannica miliaria vel duo quingenariae si accesserunt, habes septem milia 1000
septingentos sexaginta milites, atque si Tacitus alteram Tungrorum co- 240
hortem equitatam fuisse oblitus est, ipsa illa octo quae numeravit milia.

Difficilior quaestio est de equitatu, cuius ingentem multitudinem Agricola cum prudenti consilio hostes celasset, factum est ut subita IV alarum incursione *quanto ferocius accucurrerant, tanto acrius pulsos in fugam disiceret* (c. 37). Quae quatuor alae hae fuisse videntur e Gallia ac Germania omnes: II. Gallorum Sebosiana (Henzen. n. 5442. et annal. Rhen. XIII, p. 76) I. Tungrorum (ib.) et nisi fallor Petriana (ib. p. 77) atque aut classiaria aut Indiana (Hübner. et Henzen. ll. ll.). Quae igitur in cornibus auxiliorum tria milia equitum collocata fuerunt, mihi quidem praeter Tungros in Britannia conscripta esse videntur, trium alarum earumque miliariarum numero — et legimus alam Flaviam i. e. Vespasiani aetate conscriptam miliariam a. 114. in expeditionem missam esse (Henzen. 6857[a]) —, quas Tacitus nulla Tungrorum ratione habita solas respexit. Hos enim in prima acie propterea collocasse videtur Agricola, quia covinnariorum aspectu minus terrebantur. De classe e clade ann. 70. restituta (cf. hist. IV, 79) quod dicam non habeo, nisi inde alam illam aliquando suppletam esse; quae reperiri potuerunt, diligenter collegit Hübnerus l. l. p. 55.

Insignem igitur ad montem Graupium victoriam anni 84. autumno (c. 38) reportavit, cum Domitianus bellum contra hattos gerebat, quo Agricolae tempora definiuntur.

Qui cum laureatis haud dubie litteris quae praeclare peregerat, imperatori nuntiasset, fecit ille quod decebat, summosque ei qui civibus tunc patebant, honores habuit, *triumphalia ornamenta* de quibus luculenter egit Borghes. annal. 1864. p. 336 sq. (cf. Marquardt. III, 2, p. 452), et *illustris statuae honorem* in foro, puta, Augusti erigendae a senatu decerni iussit. Vere autem proximo a. 85. successorem misit, cui *provinciam quietam tutamque* Agricola tradidit. Neque id omnino quisquam principi culpae vertere potuit, quod legatum qui per septem fere annos i. e. duplo diutius quam egregii duces plerique omnes [1]) provinciam obtinuerat, tandem aliquando revocavit. Eam tamen amici e magnifica principis oratione, quam in senatu praesens Tacitus audivit, spem conceperant, fore ut statim in Syriam legatus mitteretur, *vacuam tum morte Atilii Rufi consularis et maioribus reservatam.* Quo sane exemplo uti licebat. Nam T. Atilium Rufum a. 80. legatum Pannoniae fuisse indeque ad Syriam ascendisse e diplomate Titi (Henzen. 5428) iam Nipperdeius eodem loco (mus. Rhen. XVIII, p. 364) monuit quo etiam titulum Decidiani (p. 10) commemorat, atque ignotum hominem a Germania ad Britanniae legationem denique ad Syriae administrationem promotum esse, Burbuleium e Cappadocia in Syriam transisse Borghesius IV, p. 168 sqq. docuit. Princeps autem Agricolam, vere anni 85. [2]) in urbem reversum frigide excepit atque ad umbram privatae vitae coercuit. Ne hoc quidem magnopere vituperandum videtur, meminerat enim veteris praecepti quod Maecenati tribuit Dio Cass. LIII, 23. cll. LX, 25, ne honores provinciales continuarentur. Quod enim de isto liberti itinere deque mandato principis narrare Tacitus non dedignatus est c. 40, id *ex ingenio principis fictum et compositum* esse Agricolae silentio demonstratur, qui iniuriam principis malignitate et liberti insolentia acceptam generum haud dubie non celasset. Neque magnopere tum quidem principi invisus videtur esse, nam *crebro — absens accusatus, absens* **absolutus** *est,* atque quod genero anno 88. praecipue ludis saecularibus insigni praeturam dedit, socero quoque gratum fecisse

[1]) Alterum Agricolam Sex. Calpurnium amplius sex annos a. 162—69. Britanniae legatum fuisse Hübnerus docuit l. l. p. 61.

[2]) Nescio enim quid Cardinalium diplomi imperiali p. 150, cui assensus est Borghesius III, p. 188, permoverit ut scriberet: *resse la provincia a tutto l' anno 85.*

putandus est. Magna autem rerum mutatio eodem proximisque annis facta est, cum seditione Antonii Saturnini a. 88. (cf. *Tillemont.* Domit. annot. 8. Mommsen. p. 120) oppressa magnis ad Danubium cladibus acceptis fortissimi ducis desiderium a plebis rumoribus ad palatium usque pervenisset, princeps autem propositi tenacissimus in ea sententia maneret, ut nulli veterum Vespasiani ducum arma legionesque traderet. E quorum numero unum laude bellica clarum quasi res novas moliretur in ipso Asiae proconsulatu occidi iusserat, cum ad eundem honorem Agricolae aspirare licebat. Fuit is Sex. *Civica* Cerialis (c. 42) (sequi enim licebit Borghesii coniecturam a Renier. ad opp. III, p. 184 propositam), qui legionis V. Macedonicae legatus in bello Iudaico a. 67. fortem strenuumque ducem se praestiterat.

Itaque *aderat iam annus quo proconsulatum Africae et Asiae sortiretur.* Quod enim ab Augusto constitutum erat quinquennii inter consulatum et proconsulatum intervallum (cf. Dio C. LIII, 14), a Tiberio crescente suffectorum consulum numero ita prolatum est, ut ne ante decennium consulares provincias sortirentur, ac plerumque inter decimum et decimum tertium a consulatu annum consulares his duabus provinciis proconsularibus praeponi solitos esse nube exemplorum congesta qui primus Tiberii decretum sagaciter odoratus est Borghesius stabilivit opp. IV, p. 536. cll. II, p. 136. III, p. 61. 191. 292.[1]). Qui igitur plurimorum annorum a magistratu spatio distabant, duas provincias proconsulares sortiebantur. Quo cum Agricola a. 77. functus esset et a. 90. tredecimum a consulatu annum ageret, tum lege ad sortitionem vocatus est. Quod autem a Domitiani amicis monitus se excusavit atque in urbe et otio manere maluit, secutus est et aequalium quorundam exemplum (c. 42) et M. Lepidi a. 21. (Tac. annal. III, 32). Quid quod etiam Traiano imperante Salvius Liberalis SORTE | *procos. fac*TVS. PROVINCIAE. ASIAE. SE. EXCVSAVIT (Borghesi. III, p. 178. 195.). Atque Domitianus, qui *moderatione prudentiaque Agricolae leniebatur*, ipsi quidem ne alterum quidem consulatum tribuit, sed id viri

[1]) Sic C. Galba consul a. 22. *anno suo* i. e. a. 36. (Tac. annal. VI, 40) *prohibitus est sortiri proconsulatum* (Suet. Galb. 3). Quod quomodo dici potuerit, Wexius imperite miratur.

egregii honori tribuisse putandus est, ut Tacitum eodem anno in provinciam aliquam praetoriam mitteret, quo factum est ut a. 93. morienti socero non assideret [1]).

[1]) P. 8. l. 4 addatur nomen Boioniae Procillae, quae ex eadem provincia oriunda Antonini Pii avia materna fuit, cf. Iul. Capitol. Ant. 1. ib. l. 13. post v. „provinciae" excidit v. „vicinia". Ad p. 26. l. 23. Cf. interim *Aschbach*, die Consulate der röm. Kaiser von Caligula bis Hadrian in actis academiae Viennensis (phil.-hist. Classe XXXVI, p. 247 sq.).

Typis expressit officina Theiniana.